

QK. 215.

42

III 858.



8

1785
1786
1787
1788

Q



872 QK. 215 III 858

APOLOGIA

VERAE DOCTRINÆ
DE DEFINITIONE
EVANGELII.

OPPOSITA THRASONICIS

*præstigijs & indignis Theologo lusibus
Iohannis VVigandj.*

AVTHORE

CHRISTOPHORO PEZELIO,
Sacrae Theologiae Doctore & Professore
in Academia Vvitebergensi.



VVITEBERGÆ

Excudebant Clemens Schleich
& Antonius Schöne.

ANNO M. D. LXXI.

QK. 215

Kat. III, 858

A. P. O. L. O. G. I. A.

V. H. A. E. O. O. T. R. I.

A. P. O. L. O. G. I. A.

A. P. O. L. O. G. I. A.

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9

10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

20 21 22 23 24 25 26 27 28 29

A. P. O. L. O. G. I. A.

C. R. I. T. I. C. A. P. T. I. O. N. I. O.

A. P. O. L. O. G. I. A.

A. P. O. L. O. G. I. A.

A. P. O. L. O. G. I. A.

A. P. O. L. O. G. I. A.

Exemplum Clavum Schleich

3. Aug. 1788

A. N. N. O. M. D. C. C. L. X. V. I. I.



RESPONSIO AD APPENDICEM VVIGANDI.



BT MIRARI ET RIDERE SOLEMUS Poëtarum fabulas, quibus Gigantes finguntur congestis montibus cœlum oppugnare voluisse. Sed idem nostra ætate fieri non sine stupore & dolore ingenti p̄i experiuntur, cum Flaciani, posteaquam semel bella Ecclesijs nostris mouere cœperunt, Gigantæa audacia veritatem immotam & euidentem de præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus oppugnare non desinunt. Inter eos autem ducem & antesignanum esse IOANNEM VVIGANDVM eò minus mirandum est, quòd nomen Gigantum referens, non nisi Gigantum conatus & molitiones imitari potest.

Edidit is nuper, post alios multos infaustos factus, de Antinomia veteri & noua tum collationē tum commonefactionem, vt nominat, oppositam Spongiæ seu Propositionibus Reuerendi viri Doctoris Pauli Crellij de Definitione Euangelij. In qua cum veteres κοκκυσομοις toties hæctenus refutatos, insigni impudentia repetit: tum meæ quoq̄ famæ & existimationi labem & maculam aspergere conatur, addita in fine scripti sui, appendice, in qua non tam rationibus, quàm cavillationibus scurrilibus pugnat contra explicationem quæstionis in Academia nostra propositæ: An Euangeli

A ij

gelio

gelio rectè tribuatur Prædicatio Pœnitentiæ.

Etsi autem scurriles ludî VVigandi indigni sunt, in quib. aut recensendis aut refutandis perdantur bonæ horæ, quæ in alias res longè meliores rectius collocari possunt: Tamen vt p̄s omnibus appareat, VVigandum, vt alias multas, Ita hanc quoq; partem doctrinæ nostrarum Ecclesiarum contra conscientiam suam oppugnare, nec tam famæ aliorum, quos insolenti fastu quasi ex alto despiciens præ se contemnit, nocere, quàm animi sui venenati liuorem & virulentiam prodere: ob oculos Lectori, quanta fieri poterit breuitate, proponam vanitatem putidissimarum cauillationum & reprehensionum puerilium, quibus in Appendice sua Responsionem nostram de quæstione proposita exagitare voluisse videtur, Theologus non vt alijs obicit nouus & Ecclesiæ hæctenus incognitus, Sed Veterator, ipso vsu, vt est apud Comicum, factus nequior, qui magno cum malo publico, Ecclesiæ hæctenus innotuit, dum Flaciij castra secutus prorsus vt in veteri versu dicitur, ἐν δίχῳ ἀσίου καὶ πάγκρατος ἔμμορε τιμῆς.

PRIMA CALVMNIA

VVIGANDI:

*Quod nouum dogma sit dicere Euangelium
est Prædicatio Pœnitentiæ.*

Primum autem nouorum dogmatum nouum Theologum, ipse Theologus antiquus, Flacianorum furorum horribilium defensor ac patronus, accusat, retinentem constanti & religiosa fide doctrinam, quæ inde vsq; ab initio repurgatæ doctrinæ Euangelij in Ecclesijs & Scholis nostris sonuit, & sonabit deinceps,
Deo

Deo iuuante, quantumuis fremant & insaniant turbatores Ecclesiae Flaciani.

At quae tandem noua ista dogmata sunt VVigande, quorum causa ignoto bellum denuncias, qui ne sibi cum homine maledico certamen esset, ne quidem nominis tui mentionem fecit vllam? *Euangelium*, ais, *praedicationem poenitentiae esse, nouum dogma est.*

At tu, si inter vetera & noua discernere, si inter falsa & orthodoxa diiudicare recte posses, aut si praefatu Gigantæo & odio Cainico aduersus harum regionum Scholas & Ecclesias concepto & inueterato veritatem cernere velles, nequaquam noua nominares, aut tanquam falsa proclamares, quae expressis scripturae sacrae Testimonijs tradita, quae Orthodoxae Ecclesiae iudicio & consensu confirmata, quae à Patribus & Praeceptoribus nostris quasi per manus ad nos propagata accepimus.

Testimonia ex nouo & veteri testamento, quod Praedicationis Poenitentiae sit propria Euangelio.

Vox filij Dei est Marc. vlt. *Ite in mundum uniuersum, & praedicate Euangelium omni creaturae.* Non dubium est propriissime hinc Euangelij vocem vsurpari de eo doctrinae genere, quod non est ministerium legis, cuius noticia aliquo modo nobiscum nascitur, Sed decretum prolatum ex sinu aeterni Patris per Filium, quod est ignotum omnibus creaturis ante patefactionem, & apud gentes, quibus praedicauerunt Apostoli, plane noua & incognita doctrina futura erat, cum quidem illis ipsis gentibus legis doctrina naturaliter nota esset iuxta Pauli dictum: *Gentes habent opus legis scriptum in cordibus suis.*

A iij

Audi

Audi vero quomodo hoc ipsum doctrinae genus, quod propriissimè Euangelium nominat, definiat Christus Luc. vii. Sic scriptum fuit, & sic oportuit Christum pati & resurgere ex mortuis tertia die, & prædicari IN NOMINE EIVS POENITENTIAM & REMISSIONEM PECCATORVM inter omnes gentes &c. Disertè utitur Particula Copulatiua, & expressam nominis, id est, non tantum mandati, sed meriti sui mentionem facit, vt ostendat, Euangelium esse & prædicationem Poenitentiae & promissionem Remissionis Peccatorum gratuita propter filium Mediatorem.

Quod igitur à filio Dei, de quo Ecclesia canit quod sit antiquus dierum, tanta verborum perspicuitate dicitur, quomodo tu cum homo nouus sis, nouum in Ecclesia dogma appellare audes?

Iam vero dictum illud Christi Matth. 9. quàm euidenter tribuit, Poenitentiae Prædicationem, Euangelio. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad Poenitentiam. Expressè de suo officio testatur Christus, se vocare peccatores ad Poenitentiam. Ac si prædicatione Poenitentiae ad legem tantum pertinet, quid discriminis erit inter Christum & Mosen? Non sanè Moses ad poenitentiam peccatores vocat, Sed peccatum facit excellenter peccatum, & manibus suis, quæ graues sunt & intolerabiles, non releuat, sed deprimat peccatores ad æternum gehennæ exitium. Manere autem sub peccato & opprimi terroribus peccati, certè non est poenitentia, nisi forte non μετάνοια, sed μεταμέλεια talem intelligas, qualis de Iuda proditore describitur, μεταμεληθεὶς ἀπέστρεψε ἢ ἀπελθὼν ἀπήγατο. At Christus (de quo Esaia 61. scribitur, quod missus sit, vt annunciet Euangelium pauperibus, & vt liget contritos corde)

de) etsi ministerio quidem legis, (quam assidue in Ec-
clesia sonare vult & repeti) sic vtitur, vt peccata omnia
um hominum arguat: Tamen agnoscentes peccata
sua, simul bene sperare iubet de misericordia Dei, &
de peccatorum remissione, ac receptione gratuita, atq;
hoc modo poenitentiam salutarem efficit in cordibus
credentium, quibus quasi vexillum salutis erigit, ad se
vocans: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati
estis, & ego reficiam vos. Aut igitur ex Christo Mosen
efficiens ac maxime necessarium officium Christi (quod
impium est & nefarium) delebis, aut concedes Vvigan-
de, non Legis sed Euangelij proprium esse praedicare
Poenitentiam, etsi nequaquam hinc Antinomicus fu-
ror sequitur, Propterea in praedicatione Poenitentiae
nullum esse legis vsum. Non enim venit Christus
soluere legem, neq; Peccatores, quos ad Poenitentiam
vocat, vult perseverare in sceleribus contra consciens-
tiam, neq; furenter & hostiliter se habere ante conuersa-
tionem & in ipsa conuersione, vt vos Flaciani Antino-
mi furiosè contenditis.

Quid vero de dicto Act. 5. dicemus Vvigander?
*Hunc Iesum Principem et Saluatorem exaltauit Deus dextera sua ad dan-
dam Poenitentiam Israëli & Remissionem Peccatorum.* Expresse
per Copulatiuam particulam coniungunt Apostoli
Poenitentiam & Remissionem Peccatorum, & pro-
prijsimè de beneficijs Christi sedentis ad dexteram
aeterni Patris concionantur, quæ in Euangelio non in
lege patefiunt. Quod si Poenitentia ex lege est, & per
legem perficitur, quomodo congruit à Christo offerri
poenitentiam?

Quid vero noui erat dari à Christo Poenitentia-
am, si ex lege est Poenitentia? Nam Israëli, id est, po-
pulo

pulo Iudaico qui populus legis erat, nequaquam legis doctrina ignota esse potuit.

Quid ad narrationem Euangelistæ Act: 2. respondes V Vigande? Vbi post concionem Petri Apostoli die Pentecostes habitam, subiungit Lucas non recens aut nouus Theologus, Sed cuius laus est iam inde ab Apostolorum temporibus in Euangelio: *His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & reliquos Apostolos, Quid faciemus Viri fratres? Petrus autem dixit ad eos: Agite Pœnitentiam & baptizetur unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti.*

Audis compunctos fuisse corde. Et tamen iubentur agere pœnitentiam, atq; ita baptizari in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum.

Hæc non est legalis, sed propriissimè loquendo Euangelica concio. Non igitur nouum dogma est, vt tu veteratoriè fingis V Vigande, cum Prædicatio pœnitentiæ tribuitur Euangelio.

Quod si plura testimonia scripturæ desideras, in quibus ad Euangelium referatur Pœnitentiæ Prædicatio, Cur non Euangelistarum Narrationes maximè euidentes & perspicuas inter sese confers? Quibus initia atq; Exordia concionum Baptiste, Christi & Apostolorum describuntur? Sic enim Baptista noui Testamenti $\epsilon\gamma\alpha\chi\theta$ prædicasse scribitur BAPTISMVM PŒNITENTIÆ in Remissionem Peccatorum Marc: i. & Luc. 3. Sic conciones suas ab his vocib. exorsus est. *Agite Pœnitentiam, quia appropinquat regnum Cœlorum* Math 3. Sic Christus prædicationis suæ initium fecit Math. 4. *Agite Pœnitentiam, Appropinquauit enim Regnum cœlorum.* Sic Apostoli missi à Christo Matth. 10. Marc. 6. suas conciones auspiciantur ab adhortationibus ad Pœnitentiam:

riam: Egressi enim predicabant ut Pœnitentiam agerent homines. Sic Petrus Act. 3. ad Iudæos concionatur: Agite Pœnitentiam & conuertimini, ut deleantur Peccata Vestra.

Has & similes conciones, VVigande, nunquam legales esse ostendere poteris, cum sint proprijsimè loquendo Euangelicæ. Neq; vero tu, filium Dei, Apostolos, Euangelistas, Iohannem Baptistam novos & recentes Doctores esse dices. Cur igitur nouum dogma esse in Ecclesia vociferaris, quod Prædicatio Pœnitentiæ ad Euangelium pertineat?

Quod si nondum tibi noui Testamenti dicta tam illustria satisfaciunt, Vnicum saltem Iuramentum diuinum in veteri Testamento Ezech. 18. & 33. propositum attentè considera. *Viuo ego, dicit Dominus: Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.* Non dubium est æquipollentia esse ista: Conuerti & Pœnitentiam agere, & vt mors ex lege violata annunciatur, sic pœnitentiæ doctrinam & vitæ promissionem propriam esse Euangelij: & sic Ecclesias nostras semper locutas esse ignorare non potes, nisi ignorare te, vt soles, maliciosè fingas.

Aut igitur in legalem concionem, mirabili Metamorphosi, grauissimam Vocem Iuramenti diuini transformabis, quod non patientur abs te fieri piæ mentes: aut Prædicationem Pœnitentiæ, Euangelij propriam esse, non nouum, sed vetus & iuramento Dei sancitum & confirmatum dogma esse, quantumcunq; fremas, fateri cogeris.

*Testimonia ex confessione Augustana &
Apologia, quod Euangelium sit Præ-
dicatio Pœnitentiæ.*

Audi vero & consensum dulcissimum Ecclesiarum

B

rum

rum nostrarum, quem vos Flaciani tetro & horribili
ululatu turbare ausi estis.

Quàm multa sunt in Confessione Augustana
testimonia, quæ ad literam vt loquuntur, hanc asseuer-
rationem continent, quod Euangelium sit Prædicatio
Pœnitentiæ.

Articulo 4. hæc uerba ponuntur: Vt consequamur hæc bene-
ficia Christi: Scilicet Remissionem Peccatorum, Iustificationem & Vi-
tam æternam, dedit Christus Euangelium, in quo hæc beneficia nobis
proponuntur sicut scriptum est Lucæ ultimo: Prædicate Pœnitentiam
in nomine eius, & remissionem Peccatorum inter omnes gentes. Cum
enim omnes homines naturali modo propagati, habeant peccatum, nec
possint uerè legi Dei satisfacere, Euangelium arguit peccata, &
ostendit nobis Mediatorem. Christum, & sic docet nos de Remissione
Peccatorum.

Cum igitur Euangelium arguit peccata nostra, corda perterre-
facta statuere debent, quod gratis nobis propter Christum donentur
Remissio Peccatorum, & Iustificatio per fidem, qua credere & con-
fiteri debemus hæc nobis donari propter Christum, qui pro nobis factus
est hostia & placauit patrem.

Et quanquam Euangelium requirit Pœnitentiam: Tamen ut
remissio peccatorum certa sit, docet eam gratis donari, hoc est non pen-
dere ex conditione dignitatis nostræ, nec dari propter ulla præcedentia
opera aut dignitatem sequentium, &c,

Articul. 5. Instituit Christus ministerium docendi Euangelij,
quod prædicat Pœnitentiam & Remissionem Peccatorum. Estq; utraq;
Prædicatio uniuersalis: Omnium peccata arguit & omnibus credenti-
bus promittit Remissionem Peccatorum, ut non sit incerta Remissio,
Sed ut omnes perterrefactæ mentes sciant, se debere credere, quod cer-
tò donetur ipsis Remissio peccatorum propter Christum, non propter
ipsorum merita aut Dignitatem.

Artic. 20. In Titulo De fide: Primum de fide & Iustificatione
sic docent Ecclesiæ nostræ. Christus aptè complexus est summam Euang-
gelij, cum Lucæ ultimo iubet prædicari in nomine suo Pœnitentiam &
Remissionem Peccatorum. Nam Euangelium arguit peccata & requi-
rit

rit Pœnitentiam, & simul offert Remissionem Peccatorum propter Christum gratis non propter nostram Dignitatem. Et sicut uniuersalis est Prædicatio Pœnitentiæ: Ita & promissio gratiæ uniuersalis est, & omnes credere iubet & accipere beneficium Christi, sicut Christus inquit: Venite ad me omnes qui onerati estis &c.

In Apologia titulo: Quod sola fides in Christum iustificat. Christus Luca ultimo iubet prædicari Pœnitentiam in nomine suo et Remissionem Peccatorum. Euangelium enim arguit omnes homines, quod sint sub peccato, quod omnes sint rei æternæ iræ ac mortis, & offert propter Christum Remissionem Peccatorum & iustificationem, quæ fide accipitur.

Hæc tu VVigande, si noua dogmata appellare audes, si vt falsa reijcere non vereris, quantum Augustanæ confessioni tribuas, aut quid de toto genere doctrinæ nostrarum Ecclesiarum seriò sentias, nimis apertè prodis. Ac vtinam tandem ciues Ecclesiarum nostrarum, quò tui & Flacianorum sodalium tuorum conatus tendant & quid moliantur, considerent. Iam dudum suffodere & labefactare authoritatem Augustanæ Confessionis & Apologiæ laboratis, hoc vnum agentes potissimum, vt in dubium & in controuersiam reuocetis, quæ planè & perspicuè de præcipuis religionis Christianæ capitibus sunt exposita. Qua machinatione quid potest cogitari sceleratius? Labefactata enim certitudine eius Confessionis, quæ norma hæcenus fuit rectoris nostrarum Ecclesiarum, Concedi vobis licentiam vultis impunè spargendi furores, quos cunq; effingere tandem poteritis.

Testimonia ex D. Lutheri & Philippi scriptis.

Sed cum ex Flacianorum grege nemo quisquam ferè sit, qui non quod comminisci ac proferre do-

B ij

gma

gmatibus audet, aufit etiam nomine & authoritate Lutheri venditare ac defendere: et tu Vvigande in primis in hac ipsa disputatione sapissimè Lutheri nomine abutaris, & scripta eius alioqui ad omnes tuos, quos nos uos subinde ac monstrosos eniteris, partus fouendos tuendosq; insigni malicia veteratoriè detorqueas: turpe est, te Lutheri Propositiones, quas toties allegas, contra Antinomos, ne semel quidem integras perlegere. Quod si fecisses, aut fecisse te palàm ostendere voluisses, minimè vt nouum dogma traduceres, quod Euangelio ascribitur Prædicatio Pœnitentiæ, quam totam ex lege non posse sumi Lutherus disertè affirmat. Hæc sunt enim Verba ipsius in 1. disputatione contra Antinomos.

Pœnitentia tantum ex lege est dimidium uel initium Pœnitentiæ, seu per Synecdochen Pœnitentia, quia caret bono proposito, Et si perseuerat, fit Pœnitentia Cain, Saul, Iudæ & omnium de Dei misericordia diffidentium & desperantium, id est, pereuntium.

Item: Contra hos inutiles & desperationis Magistros Euangelium coepit docere, Pœnitentiam non oportere tantum desperationem esse, Sed Pœnitentes debere spem concipere, & sic ex amore Dei peccatum odisse. Id quod est uerum propositum bonum.

Idem in 4. Disputat: contra Antinomos inquit: Nulla fuit in Ecclesia pestilentior doctrina contra Pœnitentiam (excepta Saduceæ & Epicurea) quam Papistarum. Hæc sustulit Pœnitentiam integram & ueram, dum non permisit certam esse Remissionem Peccatorum. Item. Quid autem pœniteas, Si incertus sis, an retineantur uel remittantur peccata tua. Hac ratione non docentur impœnitentes & securi, ad incipiendam pœnitentiam. Sed territi & incipientes pœnitere coguntur cadere in finalem impœnitentiam. Periculosior autem est impœnitentia finalis & desperantium quam impœnitentiæ securorum.

Hæc Lutheri Verba si considerasses Vvigande attentius, furorem tuum ipse detestatus esses, quo
conten-

contendis Pœnitentiæ Prædicationem ideo non esse
tribuendam Euangelio, quod Pœnitentia de solis do-
loribus contritionis qui ex lege sunt, intelligenda sit:
Cum audias quanta cum verborum perspicuitate &
δευότητι Lutherus affirmet vnâ tantum Pœnitentiæ
partem ex lege esse. Imò, cum accuset grauissimè om-
nes, qui integram & veram Pœnitentiâ tollunt.

Idem Lutherus quanti fecerit librum locorum
Theologicorum Philippi Melanthonis, ad omnem
posteritatem testabitur, scriptum ab ipso Luthero, tes-
timoniũ in Præfatione primo tomo suorum Operum
præfixa, cuius hæc Verba sunt: Nunc Dei gratia ex-
tant Methodici libri quàm plurimi, Inter quos Loci
Communes Philippi excellunt, quibus Theologus &
Episcopus pulchrè & abundè formari potest, vt sit pos-
tens in Sermone doctrinæ pietatis. Testantur & Senes
multi, quorum fides perspecta & explorata est, qui
Luthero familiares fuerunt, quàm honorificam men-
tionem Locorum Theologicorum Lutherus in collo-
quijs amicorum fecerit, cum omnibus, quæ post Apo-
stolorum tempora exiissent scriptis, illos anteferet.
Imò cum secum perpetuò circumferret ac de manibus
nunquàm deponeret, cumq; hortaretur omnes, qui ad
ipsum accedebant, ut accuratè illos legerent. Deniq;
cum sæpè diceret, hunc librum solum doctrinæ puritas-
tem vsq; ad Mundi finem conseruaturum esse.

In eo igitur libro, multoties repeti & inculcari
definitionem Euangelij adeò ignorare non potes Vni-
gande, vt potius irasci & ringi propterea, sed frustra
videaris. Neq; enim in postrema solum editione, quæ
biennio ante mortem Lutheri prodijt, quam allatrare

B in vos

vos Flaciani soletis, Sed etiam in ea, quæ mox post exhibitam confessionem Augustanam typis impressa est, recitantur hæc verba: *Definit Christus Euangelium Lucæ ultimo planè ut artifex, cum iubet docere Pœnitentiam & Remissionem Peccatorum in nomine suo. Est igitur Euangelium Prædicatio Pœnitentiæ & promissio quam ratio non tenet naturaliter, sed reuelata diuinitus, In qua Deus pollicetur se propter Christum filium suum remittere peccata, & nos pronunciat iustos, id est acceptos, & donat Spiritum sanctum et uitam æternam, modo ut credamus, hoc est confidamus hæc nobis propter Christum certò contingere. Atq; hæc gratis pollicetur, ut sint certa.*

Similes loci in scriptis Melanthonis penè sunt innumeri, quos qui ante Flacij certamina mota, aut reprehenderit, aut impugnarit, nemo repertus fuit vnquam, donec tu Vvigande in Flacij Schola edoctus cum grege tuorum complicum, veram & ex firmis fundamentis extructam doctrinam, quod aut rectè intelligere eam nunquam didicisses, aut assentari tunc in omnibus Flacio constituisses, canino rictu allatrare & calumniari cœpisti.

Quæ cum ita sint, mendacem & falsam esse calumniam tuã Vvigande, agnosce, quod noui dogmatis nos insimulare audes, cum Euangelium Prædicationem Pœnitentiæ esse dicimus, sequentes vestigia Christi & Apostolorum, & retinentes sollicitè non modo res, sed etiam verborum formas, quæ in nostris Ecclesijs semper vsitatae fuerunt, & quas à Patribus ac Præceptoribus nostris tanquam præclarum depositum & magni precij thesaurum accepimus. Te vero execrabitur aliquando si qua futura est pia & erudita posteritas, quod impura, veteratoria & turpi Sophistica grassaris in benè constituta & rectè explicata doctrina nostrarum Ecclesiarum ceu ferus aper in amæno horto,

no horto, & arrodis, conuellis, proteris rectas & veras
sententias, aut conspergis ac polluis easdem cæno no-
uarum opinionum, cum interim in grauissimis doctri-
næ Christianæ capitibus, noua, inaudita, horrenda &
blasphema dogmata tibi fingas & cudas, quemadmo-
dum præter alia ostendit liber tuus de Communica-
tione Idiomaticum, de quo scias tibi coram Deo & Ec-
clesia aliquando rationem reddendam esse.

In eo cum tam multa sint palàm impia & blasphe-
ma, quæ tu pro articulis Fidei, Ecclesiæ obtrudere vo-
luisti, quid est quod tuas, quas euoluisti blasphemias
nondum agnoscis? atq; alios interim blasphemiarum
reos facis, quæ quales sint, deinceps, quoniam ita vis,
videbimus. Sic enim appendix tua habet. In Respon-
sione VVitebergæ edita ad Questionem de Definitione Euangelij, mul-
tæ insunt blasphemie atroces in Deum & homines.

Nihil profecto atrocius proclamare VVigandus
potuisset, sed cum ad narrationem ventum est, via
de quæso, lector Christiane, quos accusationis atrocissi-
mæ neruos & probationes afferat.

SECUNDA, TERTIA, ET QUAR- TA CALVMNIA VVIGANDI.

Pronunciat iste nouus author, inquit, Euangelium habere com-
minationes seuerissimas: & arguere peccatum, Item manibus pedibusq;
contendit, Euangelio proprie sic dicto, Vnicum peccatum argui, & ta-
men sui oblitus, id quod familiare est illis, qui mente non constât, ac qui-
bus sensus est reprobus, quinq; recenset peccata. Et hoc nouo artificio,
ex uno quinq;, & ex quinq; unum noua Arithmetica, nouaq; Theolo-
gia mirabiliter diducere atq; conflare, pro licentia noua qualibet libera-
rimè effutiendi potest.

Vnicum inquit peccatum Euangelij propria uoce argui, nempe,
1. Incre-

1. Incredulitatem 2. Ignorantiam filij 3. Contemptum & neglectio-
nem filij 4. Contemptum iræ 5. Desperationem.

Nota igitur pie Lector, quomodo sint equipollentes? Euan-
gelium propriissima sua uoce unum peccatum arguit, Et quinque peccata
arguit. Alij plura recitant. Haftenus VVigandus.

Non instituum cum homine *αὐτακατακρίτω* dis-
putationem, qui si mente sibi ipsi constaret, nec sensum haberet reprobum, nequaquam tam scurriles elu-
siones & ludos proferret: Ipsa potius verba responsio-
nis subiiciam. Sic igitur verba responsionis sonant.

In Euangelio, quod de fide in Christum concionatur, proprie
patefieri statuo hoc arcanum peccatum, uidelicet incredulitatem, igno-
rantiam, neglectionem Filij, contemptum iræ, ac misericordiae diuinæ
quæ cernitur exhibito Filio. Hoc peccatum quod est fons omnium alio-
rum peccatorum & quo regnante non condonantur nec tolluntur cæ-
tera peccata, sicut nec ullæ Virtutes hoc manente possunt Deo placere,
nec patefactum est lege, nec arguitur ex lege ante reuelationem Euan-
gelij. Testimonia manifesta sunt in his dictis: Qui crediderit & bap-
tismus fuerit, saluus erit: Qui non crediderit, condemnabitur, Qui
credit in Filium habet uitam æternam, Qui non credit Filio, non uidebit
uitam, Sed ira Dei manet super eum. Qui credit in Filium, non iudica-
tur. Qui autem non credit, iam iudicatus est, Item, Qui credit in filium,
habet testimonium Dei intra sese, Qui non credit Deo, arguit eum
mendacij, non credens Deum testificatum esse de Filio suo.

Agnoscit pius Lector, hac esse uoces Euangelij propriissimas:
Et tamen non solum promissiones sunt dulcissimæ de gratia Dei, de ius-
ticia, & salute æterna, pertinentes ad omnes, quicumque fide amplectun-
tur Mediatorem, qui tantum monstratur in Euangelio: Sed etiã commina-
tiones sunt seuerissimæ, arguentes hoc peccatum, quod est incredulitas
in Filium Dei Mediatorem, & relinquentes sub æterna condemnatio-
ne omnes non credentes in hunc Filium.

Haftenus verba Responsionis optima Fide res-
citaui, In quibus tria repræhendis VVigande: Pri-
mum quod Euangelium dixi habere comminationes
seue

seueriffimas. An vero θεόμαχε ludicra tibi esse videntur hæc fulmina? Qui non crediderit condemnabitur, Qui non credit Filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum, Qui non credit iam iudicatus est: Qui non credit Deo, arguit eum mendacij.

Hæc si tibi non videntur esse comminationes seueriffimæ, quid aliud corde tuo foues quàm Lucianismum iridentem Filium Dei, & iudicantem inania terriculamenta esse, minas in Euangelio propositas? Quod si has comminationes non ad Euangelium sed ad legem pertinere contendis, quid nisi contradictionis implicationem efficies?

Quomodo enim aut qua verborum forma, aut quo iure accusabit lex ignoracionem & contemptum Filij Mediatoris: cum de Mediatore nihil præcipiat? Quomodo vero incredulitatem arguet, cum de officio Mediatoris, & de fide qua fit applicatio beneficiorum Christi, sine Euangelij interpretatione ac declaratione, nihil omnino sciat?

Hæc cum veriffima sint, quæ est tua, VVigande, audacia, quod negas Euangelium habere comminationes seueriffimas aduersus contemptores Filij Dei, qui non agunt poenitentiam?

Alterum quod in responsione nostra, cuius particulam recitauimus, reprehendis VVigande est, Quod Peccatũ Euangelio argui dicimus. Tu vero quid aliud hac reprehensione tua facis, quàm quòd Christum reformandum tibi esse censes, qui disertè inquit: Spiritus Sanctus arguet mundum de Peccato, de Iusticia, de Iudicio. De Peccato, quia non credunt in me, De Iusticia, quia uado ad Patrem, De Iudicio, Quia princeps mundi iam iudicatus est.

Responsio
ad Tertiam
Calumniam.

An Euangelio arguatur peccatum.

C

His

His verbis manifestum est describi ministerium
Euangelij proprijsime sic dictum. Et de vno eodemq[ue]
ministerio Euangelij singula membra intelligenda esse,
se, collatio membrorum ostendit. Arguit igitur Spiritus
Sanctus Mundum de Peccato Incredulitatis non
per legem sed per Euangelium, Sicut non per legem,
sed per Euangelium proprijsime sic dictum arguit
Mundum de Iusticia & Iudicio. Non enim in lege, sed
in Euangelio patefit, quod Christus transitu suo ad
Patrem iusticiam nobis meruerit, & quod princeps
Mundi iudicatus, seu caput Serpentis contritum, &
opera Diaboli destructa sint.

Eandem autem verborum formam, Quod Euangeli-
um peccatum arguat, Ecclesijs nostris notam atq[ue]
vsitatam semper fuisse testantur illi ipsi loci, quos paulo
ante ex Confessione Augustana & ex Apologia
citaui.

Sunt & loci plurimi in libro Locorum Theologicorum,
Vt cum in loco de gratia & iustificatione dicitur:
*Semper in Ecclesia sonare oportet Prædicationem Pœnitentiæ, quæ fit
uoce Legis, per quam Deus arguit peccata nostra cum externa tum in-
teriora, qualia sunt, non timere, non diligere Deum, non confidere
Deo. Fit & uoce Euangelij accusantis Mundum, quod non audiat filium
Dei, non moueatur eius Passione & resurrectione &c. Ideò inquit
Christus: Spiritus sanctus arguet Mundum de Peccato, quod non credunt.*
Et Rom. 1. Reuelatur Ira Dei de cælo super omnem impietatem
& iniusticiam hominum.

Inprimis autem illustris locus est in loco de Pœ-
nitentia. Necessaria pars est ministerij in Ecclesia, quod Christus in-
stituit, arguere Peccatum. Utendum est autem uoce legis Moralis ad
hanc ministerij partem. Est enim lex illa æterna & immutabilis sapi-
entia Dei declarans iram Dei aduersus peccatum. Ac prorsus falsa, ab-
surda

Surda & pernicioſa imaginatio eſt fingere Legem nihil eſſe aut non
predicandam eſſe. Ino ſepè inculcat Chriſtus legem & quidem addit
declarationem, ut ſciamus lege non ſolum accuſari externa deiicta, ſed
etiam interiora uitia, Cœcitatem, iniuſta odia, flammas libidinum &c.
Huius legis uocem quæ concionatur de obedientia cordis, ſemper Deus
uult ſonare in Eccleſia: Sed & uoce Euangelij utendum eſt, quæ ac-
cuſat in mundo contemptum iræ & miſericordiæ quæ cernitur exhi-
bito filio.

Quid? quod Lutherus etiam hac uerborum
forma nonnunquam utitur? In Enarratione Pſalmi 51.
inquit: Fit hæc Peccati reuelatio per legem & per Euangelium ſeu
promiſſionem. Nam utraq; doctrina arguit peccata, quæ nos neq; in-
telligimus, nec credimus, nec ſentimus eſſe peccata, niſi cum admone-
mur uerbo Dei.

Sed quid opus eſt in re manifeſta, pluribus Teſ-
timonijs? Antinomum te, VVigande impudentem
eſſe oportet, niſi fatearis miniſterium Euangelij pec-
catum arguere. Idq; duplici ratione uerum eſſe omni
aſſeueratione confirmo, tum quod in miniſterio Euana-
gelij repetitur ac declaratur lex arguens totam molem
peccatorum, quæ in lege patefacta ſunt: Tum quod
propriſſima uox Euangelij eo ipſo dum offert cre-
dentibus beneficia filij Mediatoris gratuita, ſimul
contemptores horum beneficiorum propter incredu-
litatem non accipientem miſericordiam Dei in filio
promiſſam ſeueriſſimè arguit & damnat.

Tertium, quod in ea parte reſponſionis, quam
paulo ante repetiui, irridendum atque exagitan-
dum tibi proponis VVigande, adeò ſcurrile eſt, ut
Pſeudolum in Comædia magis, quàm Theologum
in Eccleſia deceat, Vnam peccatum propriè in Euangelio pugnèt in-
pateſieri ter ſe iſta:

Reſponſio
ad quar-
tam calum-
niam VVi-
gandi: An
pugnèt in-
pateſieri ter ſe iſta:

Vnum peccatum pro-
prie uoce
Euangelij
argui: &
hoc ipsum
peccatum
esse ignora-
tionem fi-
lij, negle-
ctionem, in-
credulita-
tem, con-
temptum
iræ ac mi-
sericordie
Dei, despe-
rationem.

patefieri, cum dicimus, hoc tamen ipsum mox in quinque diducere nos
ais.

Et tibi ipsi, quasi palmarium reperisses, hac cas-
uillatione friuola & veteratoria tam mirè places, ut
quidquid in te salis est, non illius candidi, qui Mercu-
rio & Gratijs attribuitur, sed nigri ac venenati, qui
Momo, qualis tu es, proprius esse solet, in respon-
sione nostra exagitanda consumpsisse videaris. Sed
in bona causa tria verba sufficiunt. Vnum &
idem peccatum est, Vvigande, ac diuersi tantum vnus
us eiusdemque peccati gradus sunt, siue Incredulitas
tem, siue Ignoracionem Filij Dei, siue neglecti-
onem filij, siue contemptum Iræ ac misericordie diuinæ,
quæ filio exhibito cernitur, siue desperationem no-
mines. Nec nouum aut inusitatum est, rem vnã
eandemque varijs appellationibus describere, non
quod res sint plures, sed quod gradus vnus eiusdem-
que rei sæpè diuersi sint.

Ac ne plura disputando insanire tecum vi-
dear, An ignoras Vvigande: Vnam eandemque
virtutem esse fidem Euangelicam, quam Paulus &
πληροφορία & ἔλεγχος & ὑπόστασις definit. Et in de-
scriptione fidei, qua nostræ Ecclesiæ vtuntur, scis di-
stinctè numerari Noticiam, assensionem & fiducia-
am. Nec quisquam sanus vnquam dicere ausus
fuit, aut Paulum aut Ecclesias nostras vnitatis & ter-
narij numeri confusionem efficere.

Valeat igitur VVigande tua ista tam præclara
Arithmetica, quam deinceps non in rebus Theolo-
gicis tam scurriliter, sed in ludicris, cum Pueris inep-
tiens,

tiens, adhibe: apud quos si ostentans Sophisticum ingenium tuum, ex vno quinque & ex quinque vnum efficere possis, premia ab eis referes, qualia Sophistæ isti debebantur: qui cum tria oua apposita essent, numerando se quinque efficere posse aiebat, quod qui tria haberet, ei duo quoque non deessent, ex quibus inter se iunctis quinque tandem fierent.

DE QUINTA, SEXTA ET SEPTIMA

PRIMA CALVMNIA VVIGANDI

Vt autem lectorem in arguta ista ratiocinatione tua detineas, tria velut Emblemata inferendo, nunc hæc, nunc illa lectorem notare iubes, vt magno conatu magnas nugas te agere appareat.

Nota, inquis, Lex Dei iuxta nouam huius noui Theologi Theologian, nihil nouit de Filio Dei, Licet primum præceptum uetet alienos Deos haberi & ueram Dei noticiam præcipiat.

Tu vero, Vvigande, vetus Sycophanta, veterariè confundis noticiam Dei, qualis ex lege est, & qualis est ex Euangelio. Agnoscitur vnica Dei essentia distincta tribus personis ex patefactionibus Dei tam in lege quam in Euangelio traditis. Nam vtrumque genus doctrinæ discernit Deum ab Idolis & commentitijs numinibus, & obligat omnes homines ad agnoscendum & inuocandum hunc vnum verum Deum, qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus. Sed quod ad voluntatis Dei agnitionem attinet, aliter nos Lex, aliter Euangelium docet. Nam in lege hæc seria & immota voluntas Dei exprimitur, vt omnes

Responsio
ad quintam
calūniam:
An lex Dei
norit doctrinam de
filio Dei
sine declaratione
Euangelij.

creaturæ rationales sint conformes Deo, & damnentur ac destruantur omnes non conformes Deo.

Cum autem non sit in nobis post lapsum integra conformitas cum Deo, quam lex requirit, Sola vox Euangelij monstrat Deum placatum esse generi humano propter intercessionem & meritum filij Dei, & inuitat homines ad pœnitentiam, monstrata diuinæ legis ἐπιεικεία & proposita promissione dulcissima de gratuitis beneficijs Filij, quæ fide accipi iubet.

Nota igitur lector hoc discrimen, quod maximi momenti est, prorsus confundi à VVigando, cum vel pueri in Scholis intelligere debeant aliud esse, quod Deus misericors & beneficus est erga eos, qui obedientiam præstant legi integram. Aliud vero quod misericors & beneficus est erga peccatores agentes pœnitentiam.

Præterea neque attendis neque consideras VVigande, In Filio Dei duo consideranda esse, Personam & Officium. Persona Christi vna est, Sed naturæ duæ sunt: Diuina & humana. Vt autem arcanum decretum de incarnatione Filij in prima promissione patefactum est, cum antea ignotum esset omnibus Creaturis: Sic Lex de Christo homine, id est, de Semine mulieris, nihil nouit sine declaratione Euangelij.

Multo minus Lex per sese quidquam nouit de officio CHRISTI, cuius causa non modo Deum, sed etiam hominem fieri eum congruebat, videlicet

delicet vt esset Mediator, Redemptor, Iustificator & Saluator.

Hæc certè in solo Euangelio patefiunt. Ideo scriptum est: Deum nemo vidit vnquam, Filius vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Nota igitur lector Paralogismum puerilem Vvigandi, in quo plus est in consequenti, quàm in antecedente fuit.

Lex præcipit veram Dei noticiam.

Ergo Lex omnia nouit, quæcunq; ad salutarem filij Dei agnitionem pertinent.

Nam quid opus fuisset peculiari patefactione, si ex lege primis parentibus nota fuisset voluntas Dei, qua nos propter filium Mediatorem gratis recipit?

Non dissimilis calumnia est, cum iram Dei ostensam in morte Filij, de qua Euangelium tantum docet, confundit cum ira Dei, quæ cernitur in maledictionibus legi additis.

Nota, inquit, Lex Dei de ira Dei seu eius contemptu nihil nouit, ut hic nouus Ecclesiæ Christi doctor ebuccinat.

Tu vero buccinator calumniarum Vvigande cur omittis, quod in Responsione nostra non frustra fuit additum? Non enim simpliciter contemptum iræ Dei nominaui, sed misericordiæ etiam Dei mentionem expressam, addidi. Neq; in genere de ira & misericordia Dei dixi, Sed de ea, quæ Filio exhibitæ cernitur. At te buccinatorem fortassis spiritus defecit, quò minus plenè singula exprimeres.

Nota igitur lector pie manifestam deprauationem eorū, quæ in Responsione rectissimè & verissimè dicta sunt, & vel pueris hunc Paralogismum ex
confus

Responsio
ad sextam
calumni-
am: Quo-
modo Eu-
angelium
iram Dei
narrat.

confusione disparatorum examinandum relinque.
Euangelium ostendit iram & misericordiam Dei, quæ cernitur exhibitio
filio, Ergo lex iram Dei ignorat.

Imò verò & lex iram Dei nouit, & Euangelium
iræ Dei magnitudinem omnium maximè declarat. Ne-
cesse est enim seriam, ingentem & inenarrabilem esse
iram Dei aduersus peccata, cum non potuerit placari,
nisi filius intercessisset & factus esset victima pro no-
bis. At de intercessione & sacrificio filij Dei tantum
Euangelij vox nos docet. Sola enim de morte Christi
concionatur. Est igitur vox Euangelij omnium maxi-
mè illustre testimonium iræ Dei aduersus omnia pec-
cata pugnantia contra legem Dei. Deinde peculiariter
etiam monstrat Euangelium hanc iram Dei, quæ com-
mitatur contemptum filij, sicut Psalmus inquit: Of-
culamini filium, ne quando pereatis in via cum exars-
descet ira eius. Et Baptista: ὁ ἀπειθῶν τῷ υἱῷ οὐκ ὀφείτῃ
ζῶν, ἀλλ' ἡ ὀργὴ τοῦ θεοῦ μέλει ἐπ' αὐτόν.

Responsio
ad septi-
mam Cas-
lumniam:
An despe-
ratio ar-
guatur uo-
ce Euange-
lij.

Addit vero & hanc notationem VVigandus,
Nota, desperationem non in lege reuelari & argui, Sed in Euangelio.
Hæc vero magna est impudentia VVigandi, quod
negat desperationem Peccatum esse pugnantia cum
Euangelio. Nam Fides accipiens beneficia Christi
non in lege, Sed in Euangelio præcipitur. Est autem
fidei opposita desperatio, quæ est perseverare finaliter
in incredulitate. Hanc adeò lex nō arguit sine declara-
tione Euangelij, vt hunc proprium & perpetuum ef-
fectum habeat in omnibus, immutabili ordine iusti-
ciæ diuinæ, vt adigat ad desperationem, & sub maled-
ictione relinquat omnes non confugientes ad filium
Mediatorem. Quamobrem propriè loquendo tam
non potest ad legem referri Desperatio, quæ opposita
est

est fidei in Christum mediatorem: quàm Pauli illud dictum: *Gratia exuberat supra peccatum*, non legale, sed proprijsimè Euangelium est. Nam hoc ipsum est desperare, cum conscientia aut sensu iræ Dei, aut magnitudine multitudinèq; peccatorum territa, aut mole pœnarum oppressa, non credit gratiam abundantior rem esse peccatis. Vt cum Cain exclamat: *Maior est iniquitas mea, quàm ut mihi remitti possit*, Cui Augustinus non ex lege, Sed Euangelio opponit: *Mentiris Cain, Maior est Dei misericordia quàm omnium hominum miseria.*

DE OCTAVA CA. LVMNIA.

Nondum autem finem facit Notationum suarum notator VVigandus. Sed ad cumulum reliquarum etiam hanc addit. *Nota inquit, An & quomodo sint æquipollentes: Euangelium propriè & in specie est concio Pœnitentiæ. Et Euangelium est concio de uno peccato. An Pœnitentiæ & unum Peccatum sunt Synonyma. Quis hoc ab initio mundi huc usq; audiuit unquam Pœnitentiæ & unum peccatum esse idem. Et quando Christus dicit Prædicare Pœnitentiæ idem esse, ac Prædicare unum peccatum.*

Hæc noua Theologia interpretandi uerba Christi nunc surgit, nunc innotescit, nunc canonisatur.

Nisi Sycophanta esses VVigande, qualem vix ab initio Mundi huc vsq; experta est Ecclesia, cui singularem præ se ferenti zeli & pietatis hypocrisin, tota religio nihil nisi ludus & risus est, neq; calumniando aliena inter sese misceres atq; confunderes, neq; deprauando quæ recte dicta sunt, tam scurriliter eluderes. Nam si quid candoris & ingenuitatis in te superest, Si studium veritatis inquirendæ, tibi curæ &

D cordi

cordi est: Cur non integrè citando quæ responsio nostra habet, inter se confers singula? Cur non ad fundamenta argumentorum disputationem tuam refers?

Vtrumq; rectè & verè dici ostendit Responsio nostra: Euangelium & Prædicationem pœnitentiæ esse: Et præter ea peccata quæ lex Dei arguit, vnum hoc Peccatum propriè arguere, quod est Incredulitas in filium Dei. Et quomodo hæc inter sese non pugnent, etiam quæstio ipsa satis euidenter demonstrat ijs verbis, quæ, vt calumniæ tuæ appareant, integrè subiiciam.

Quomodo
Euangelium
arguat
unum peccatum.

Pœnitentiam intelligo de tota conuersione ad Deum, quæ complectitur Contritionem, fidem & nouam obedientiam. De his tribus partibus certum est concionari Euangelium, seruata nimirum partium distinctione et cuiusq; partis proprietate. Etsi enim nequaquã excludenda est à Contritione accusatio Peccatorum, quæ in lege proponitur, et à qua ordiendæ atq; inchoandæ sunt conciones pœnitentiæ: tamen dolores qui oriuntur à lege, sine consolatione Euangelij nondum sunt uera Pœnitentia, cum tantum seruilem timorem efficiant, qui est horribilis fremitus aduersus Deum, & est motus desperationis. Vt igitur Contritio sit salutaris, & filialis timor excitetur, qui est sacrificium & cultus, Deo gratissimus, temperari ac mitigari legis concionem, quæ simpliciter est uox condemnationis ac maledictionis, ex Euangelio necesse est. Deinde manifestum est Fidem, quæ est præcipua ac principalis Pœnitentiæ pars, & unicam Mediatoris Filij Dei obedientiam intuetur, totam esse ex Euangelio, cum de ea nihil docere lex possit sicut Paulus inquit Galat. 3. Lex non est ex fide. Postremò etsi lex perpetua norma est nouæ obedientiæ etiam in renatis, monstrans, quæ opera sint faciendæ: Tamen in Euangelio tantum monstratur, quomodo fieri possint bona opera in tanta infirmitate naturæ nostræ, in tantis Diaboli insidijs, & in tanta periculorum mole, quæ cursum uitæ et uocationis nostræ impediunt. Et quia in hac uita semper manent reliquæ Peccatorum, & in Sanctis ipsis uirtutes sunt imperfectæ ac languidæ, nec satisfaciunt legi postulanti integram conformitatem cum Deo, rursus in
solo

solo Euangelio ostenditur, quomodo inchoata obedientiae studium Deo
placeat.

In hac uera & natiua explicatione acquiesco, nec conuersio-
nem seu Pœnitentiam certis momentis seu actibus seu articulis tempo-
rum includo, sed ad uniuersam uitam piorum exercitia ueræ Pœnitent-
tiae refero, sic, ut tota uita Christiani hominis nihil aliud sit, quàm cons-
tinua, assidua & perpetua pœnitentia. Et quanquam Lex totam mo-
lem peccatorum, quæ sunt in lege expressa, accusat: tamen unum illud
peccatum summum, maximum, ultimum & nulla satisfactione piand-
um in tota æternitate, uidelicet ignoracionem filij, incredulitatem,
contemptum filij, & desperationem, in solo Euangelio expressum &
declaratum esse, omni asseueratione confirmo.

Non audis hîc VVigande, Pœnitentiam & v-
num Peccatum esse Synonyma. Non illam tetram di-
cti Christi deprauacionem legis, Prædicare pœnitent-
tiam idem esse ac Prædicare vnum peccatum: Sed ideo
Euangelium concionem Pœnitentiæ esse audis, quia
ministerium Euangelij integram conuersionem seu
Pœnitentiam docet, & distinctionem partium singu-
larum monstrat, & quanquam in prima parte pœni-
tentia quæ Contritio nominatur totam ἀνομίαν ex le-
ge quam & repetit, & declarat, accusat: Tamen mox
accusationi adiungit consolationē, & fide hanc accipi
iubet, eamq; ab omnibus adeò requirit, vt incredulis
latem summum, maximum, & vltimum & nulla satis-
factione piandum peccatum esse ostendat.

Hîc igitur VVigande, si potes, aduersus fun-
damenta veræ & immotæ sententiæ argumenta op-
pone, neq; tantum tibi deinceps (quod turpe est Sen-
nem Theologum facere) indulge, vt prætermisis res-
rum neruis cauillando & calumniando occuperis.

D ij

Ille

Haec vero qualia sunt, quæ in Appendice tua sequuntur?

D E N O N A C A

L V M N I A.

Quomodo
Euangeliū
sanciat legem.

Pronunciat, inquis, Euangelium sancire Legem. Et mox bæchæ bæchanti similis exclamas: Quis hæc uerba, hæc locutiones audiuit unquam in controuersia de discrimine Legis & Euangelij? An non Pontificij asserunt, Euangelica præcepta à Christo esse sancita? An non hæc doctrina per Spiritum Dei uoce Lutheri explosa est? Paulus inquit fide stabiliri legem. Verum hoc nouum noui Theologi pronunciatum longè aliter sonat.

Egregiam uero laudem & spolia ampla refers Vvigande, cum insanis clamoribus uicisse te putas, aut cum aliena intempestiuè obijciendo eludere te posse quæ rectè dicta sunt, existimas.

Præcepta Euangelica, quæ Papistæ sic nominant, reuocari ais hac uerborum forma, quod Euangelium sanciat legem. Quasi uero Lex & Euangelica præcepta quæ sic appellarunt Monachi, idem sint, cum, nisi ignorare te fingas, ignotum tibi esse non possit: quanto interuallo Monachi inter legem Dei seu Decalogum, & consilia seu præcepta Euangelica, ut tu nominas, distinxerint. Nam legem nominarunt præcepta Mosaica expressè in Decalogo proposita, quæ in genere obligent omnes homines sub peccato Mortali, eaq; tantum de externa obedientia interpretati sunt, quam omnes homines si annitantur, præstare facile possint. At consilia seu præcepta Euangelica uocant Sententiâ Christi, quæ non obligent totam hominum naturam, sed eos tantum qui perfectionem quandam expetant.

Quod si qualia ista consilia fuerint, scire aliquis expetit,

expetit, Commentarios Scholasticorum euoluat, apud quos Consilia XII. numerantur. Paupertas seu desertio facultatem: Abnegatio sui: Castitas: Patientia Iniuriæ: Reddere bonum pro malo: Supererogatio operum misericordiæ: Non dare Iusiurandum: Vitare occasionem peccandi: Fugere hypocrisin: Efficere ut vita cum doctrina congruat: Non angere de Victu: correctio proximi amica & candida.

De his consilijs quid sentiendum sit, & quam non sint præcepta noua, sed legis Moralís natíua Interpretatio, nostrorum præceptorum scriptis, abundè explicatum scimus alibi. Nec te, VVigande, opus erat ex Christo legislatorem facere, cū per Euangelium sanciri legem dicimus. Nam eadem Phrasi non ego recens, sed nostræ Ecclesiæ semper usæ sunt: Sic enim Christum Ecclesiæ nostræ docent, legem implere quatuor modis. Primum sua propria obedientia. Secundò deriuando in se pœnas. Tertio Restituendo in nobis iusticiam et vitam æternam. Quarto Sanciendo. Quia etsi non est missus, ut sit legis conditor, Nam Lex antea initio fuit insita rationalibus creaturis, & postea semper in Ecclesia diuinitus repetita est, & quidem in sola Ecclesia Dei semper Lex sine corruptelis retenta est: Tamen Christus, eam repetit, & testatur hoc esse iudicium Dei, arguens peccata, & ostendens veros cultus, & eam enarrat, & detergit Pharisaicas sordes, quibus legem & tunc & omnibus temporibus hypocritæ corrumpunt.

Quod si de fama tua actum esse non putaueris, si ad discipulatum ordinem ex doctorali fastigio semel descendas, vel ex pueris, qui sub Grammaticorum ferulis sunt, discere te operæ precium est: An, ut tu puer

D. iij

riliter

liter ineptis, sancire legem semper nouam aliquam legis constitutionem significet: An vero latinis sancire aliquid sæpenumero idem significet quod firmare ac roborare, id quod iam ante constitutum est? Sic igitur Christus, Sic Euangelium, Sic Fides, sancit, stabilis, confirmat, declarat legem.

Intelligere autem certè debebas ex verbis Responsionis nostræ, non nouum aliquid aut diuersum à Pauli sententiâ à nobis dici, cum, quemadmodum Paulus inquit: Lex stabilitur per fidem: Sic nos per Euangelium dicimus sanciri legem. Sic enim verba Responsionis habent.

Euangelium inuitat homines ad Pœnitentiam, monstrato inenarrabili temperamento iusticiæ & misericordiæ in Deo: & argumentum, quo maximè terrentur animi in ueris pauoribus conscientie, tanquam nodum Gordium dissoluit & explicat. Sic enim in magna consternatione cor anxium atq; sollicitum propter peccati agnitionem ratiocinatur: Lex immutabiliter requirit perfectionem, & damnat immutabiliter omnes non conformes. Ego perfectionem & conformitatem cum Deo non habeo. Ergo immutabiliter condemnatus sum. Hoc Argumentum cum sit ex Lege indissolubile, tantum Euangelij uox dissoluit, idq; hoc modo: Sancit legem & approbat legis sententiam, & eo ipso arguit peccatum. Totam enim illam legis accusationem ueram esse confirmat. Deesse nobis omnia illa, quæ lex requirit, fatetur, ac docet, nihil esse in nobis, quod legi, quod iusticiæ, quod iræ Dei opponere possimus. Quam ergo in desperationem, inquit conscientia perterrefacta?

Hic addit Euangelium ἐπιεικείαν dulcissimam, quæ est restrictio seu interpretatio Maioris in Syllogismo: Damnata lex immutabiliter non conformes, uidelicet, nisi fiat remissio & reconciliatio propter Filium Mediatorem. Ruendum igitur tibi in exitium æternum sanè esset, nisi Filius Dei factus fuisset Mediator ac Redemptor generis humani, qui cum pro te quoq; legi & iusticiæ Dei satisfecerit, poena in se deriuata, & integra obedientia præstita, annuncio tibi omnia tua peccata condonari, & te in gratiam à Deo recipi propter Filium Dei.

Hunc

Hunc in serijs pauoribus & doloribus ortis ex agnitione peccatorum
fide apprehende, Sic imputabitur tibi iusticia filij Dei, sic reconcilia-
ris Deo: Quod si filij Dei beneficia furenter aspernatus fueris, mane-
bis sub exitio aeterno, quia hoc summum & atrocissimum est pecca-
tum, non uelle amplecti liberatorem monstratum, non credere in hunc,
qui se offert, ut tollat peccatum. Noli igitur priora tua delicta cu-
mulare hoc scelere: Sed fide hunc Mediatorem amplectere & statue, te
fide, quasi inuolutum uulneribus Christi, recipi à Deo, & fieri iustum &
haeredem uitæ & salutis aeternæ.

Hæc uerba Responsionis nostræ si non Syco-
phanticè deprauare sed ueritatem agnoscere, & laus-
dem iusticiæ & ueritatis Deo tribuere uoluisses Uis-
gande facile potuisses agnoscere, quàm nihil uolue-
rim dicere aliud, cum dixi Euangelium sancire legem,
quàm cum Paulus ait, Legem stabilimus fide.

Nam ego quidem à meis Præceptoribus, quos
rum uestigia me sequi non pudet, sic institutus, sic edo-
ctus sum, præter cæteros modos, de quibus alibi disse-
ritur prolixius, stabiliri legem fide: Etiam confessione
ueritatis, quod sit Lex Dei iuste iudicans & dam-
nans nos, & quod nostra iusticia non mereatur
reconciliationem, nec sit legis impletio. Item imputa-
tione Iusticiæ propter Mediatorem. Quia enim fide
agnoscimus Mediatorem, & credimus nobis propter
eum dari Remissionem Peccatorum & reconcilia-
tionem et nos reputari iustos propter ipsius obedientiam,
sumus iusti & accepti Deo in hac uita propter obedi-
entiam filij fide. Hoc modo agnoscimus legem non
esse inane murmur, sed pœnam pro genere humano
fuisse persoluendam & hanc persolutionem nobis do-
natam esse. Regula est autem stabiliri & confirmari le-
ges pœna.

Hæc ego à Præceptoribus meis rectissime tradita
quæ

quæ vsum habent in exercitijs veræ conuersionis & plena sunt Sapientiæ multiplicis, nunquam propter stolidas Cauillationes tuas abijciam VVigande, ac te potius hortor, vt si quid sanæ mentis habes, discere prius doctrinam veram studeas, quàm in morem ebriosorum clamores tollas de rebus non satis intellectis.

DE DECIMA CA.
LVMNIA.

Satis apparet, VVigande, etsi nonnunquam inscitia peccas: sepe tamen Conscientia tibi magis quàm scientia opus esse. Eius rei Exemplum insigne est decima calūnia. Sic enim denarius numerus etiam alioqui perfectionis Symbolum esse solet. Pronunciat inquis, *legem non concionari de Pœnitentia, quia tantum iram operetur. Quid an non seruit lex ad priorem Pœnitentiæ partem? Sic scilicet decet insanire, quando insana dogmata fucis & maledicentia, sine Spiritu Dei, sinequæ uerbo Dei, publicè & pertinaciter defenduntur.*

Eho bone Vir, quoties cum in quæstione, tum in Responsione nostra dictum est, veram Pœnitentiæ annos aliam nullam intelligere, quàm quæ tota est conuersio. Etsi enim latina vox Pœnitentiæ magis congruit ad Contritionem seu pauores & dolores: Tamen Ecclesia sic nominat conuersionem ad Deum, quæ & dolores & consolationem continet seu mortificationem & viuificationem vt Paulus nominat. Et quia scriptura etiam sic loquitur: vt Gaudium est angelis de vno peccatore agente Pœnitentiæ: non insanum dogma est, VVigande, vt tu calumniando insanis, dicere quod lex non sit Prædicatio Pœnitentiæ sine declaratione Euangelij.

An

An verò tu Lutherum, quem honoris causa nomino, quia insaniam tuam non suffragatur, insanum propterea nominabis, quòd disertè scripsit: *Pœnitentia solùm ex lege est dimidium vel initium Pœnitentiæ seu per synecdochen Pœnitentia, & si persenerat fit pœnitentia Cain, Saul, Iudæ, & omnium de Dei misericordia diffidentium & desperantium, id est, pereuntium. Item, Quid pœniteas, Si incertus sis an retineantur vel remittantur peccata tua? Hac ratione non docentur impœnitentes & securi ad incipiendam pœnitentiam. Sed territi & incipientes pœnitere, coguntur cadere in finalem impœnitentiã, quæ est desperatio, quæq; multo periculosior est, quàm Impœnitentia securorum. An hæc etiã Lutheri tam clara, tam aperta asseueratio, quæ legi prædicationem veræ, integræ & salutaris Pœnitentiæ adimit, insana esse tibi videbitur? Sic enim soletis vos Flaciani honorare sanctos cineres Lutheri, vt si quid vestro palato congruit, id ex scriptis ipsius arripatis mordicus, & aut mutilatè citando, aut in sensum peregrinum detorquendo deprauetis maliciosè: Si quid vero insaniam vestram apertè redarguit, ingenti cum clamore reiiciatis. Quo artificio non dubium est Satanam per vos Flacianos illud agere, vt omnia scripta Lutheri tandem in odium & contemptum apud imperitos adducantur. Nam vbi imbecilliores nec satis confirmati, quorum semper in Ecclesia maxima multitudo est, viderint ex Lutheri libris ab hominibus factiosis contendendi studio omnia in partem vtramq; disputari, quid sequetur aliud, nisi vt scripta eius ad extremum, tanquam Sibyllina oracula aut Sphyn-gis ænigmata è manibus abiecturi sint?*

At quàm tibi Vuigande nullum studium sit veritatis, quàm sine spiritu Dei, sineq; verbo Dei publicè & pertinaciter insaniam tuam defendas: agnoscent lectores sani, si & paralogismum tuum puerilem considerabunt, & verba responsionis nostræ cum tua Calumnia conferent.

E

Lex

Lex, inquis, seruit ad priorem Pœnitentiæ partem. Idque rectè abs te dicitur, & in responsione nostrâ scis aliquoties inculcari & repeti. Sed qualis consequentia est quam tu attexere conaris? Ergo non Euangelium sed lex est prædicatio pœnitentiæ.

Seruit operarius seu minister in effodienda terra, ut possit fieri ædificatio. Ergo operarius iste est architectus domum ædificans.

At sicut terræ effossio nondum est ipsa integræ domus exædificatio: Sic agnitio peccatorum, quæ ex lege est, quæq; dolores & pauores conscientijs infligit, nondum est pœnitentia integra. Hæc si sanus fuisses, aut si fucis & maledicentia sana dogmata occultare atq; opprimere non voluisses, nequaquam infano clamore hanc Responsionis nostræ partem reprehendisses, quam propter lectorem subiiciam.

Sic enim verba responsionis habent, *Tantum abest ut confundantur lex & Euangelium, cum prædicatio pœnitentiæ tribuitur Euangelio, ut multò magis hæc ipsa mentio Pœnitentiæ discrimen illustre monstret inter Legem & Euangelium. Necessè est enim rectè institutos in doctrina Ecclesiæ, intelligere discrimen inter ministerium mortis & condemnationis, quod est ex lege, & inter ministerium Spiritus quod consolationem proponit ex Euangelio. Nam lex tantum iram operatur, non concionatur de Pœnitentiâ, seu non reuocat homines ad veram & salutarem pœnitentiâ, sed simpliciter ac immutabiliter damnat omnes non habentes integram conformitatem cum Deo, & sub hac condemnatione oppressos relinquit. Cum enim requirit perfectam cum voluntate diuina conformitatem & obedientiam, quam homo præstare non potest, incutit horribiles pauores conscientijs, proposita magnitudine peccati, iræ Dei, mortis ac damnationis æternæ, & adigit ad desperationem. Necessè est enim conscientias perterrefactas accusatione legis, cum ex lege nihil auxiliij, nihil consolationis habeant, ruere in desperationem aut in fremitum aduersus Deum, sicut ostendunt exempla Saulis, Iudæ, Abitophel, & multorum aliorum. Sunt autem hi pauores nequaquam vera pœnitentia, sed pars tantum pœnitentiæ, quæ Contritio vocatur*

tw

itur, & quidem una pars tantum eaq̄ imperfecta. At Euangelium vere concio est Pœnitentiæ iubens damnatos, à lege, sese ad Deum conuere, & conuertentibus sese ac credentibus promissioni gratuita, vitam & salutem æternam promittit. Est enim ἐπιείκεια legis, & moderatur ac temperat rigorem & ἀκριβοῦς ἰκαιοῦ concionum legalium. Non igitur auertit, non repellit homines à Deo, sicut lex, Non facit, ut fugiant Deum, ut ruant in desperationem aut fremant aduersus Deum: sed perterritos ex lege agnitione suæ indignitatis & iræ Dei sensu, reuocat ad Christum, quem constituit Deus Saluatorem ad dandam Pœnitentiã & remissionem peccatorum, ut in Actis 1. dulcissimè scribitur. Hunc mediatorem testatur Euangelium satisfacisse legi, & perfectionem omnem impleuisse, eamq̄ donare omnibus, quicumq̄ in lucta & doloribus conscientie vera fide ipsum apprehendunt.

Quod autem de tuo libello VVigande iactitas, in eoq̄ gloriaris, solidis verbi diuini fundamentis refutasse te ista, De eo, quemadmodum speramus, respondebit tibi vir Reuerendus Doctor Paulus Crellius, aduersus quem scripturam futilissimi libelli tui instituisti.

Mihi in præsentia satis est, ut quoniam tibi aliquid relictum etiam mecum esse voluisti, qui à me nec prouocatus, nec nominatim læsus fuisti vnquam, saltem responsionem nostram à Calumnijs tuis scurrilibus & Theologo indignis vindicem, cuius adeo me non pœnitet, ut potius in iudicio grauiissimo Academiae nostræ acquiescam, quæ & quaestionem & responsionem nostram de definitione Euangelij, non modo in libellum Propositionum, Sed etiam in Tomum sextum Declamationum Vuitebergensium, qui nuper typis excusus est, inserendam esse putauit. Quod ideo addo, ut lectori occasionem præbeam, legendi responsionem nostram integram, ut de re ipsa, quæ sit Scholæ nostræ explicatio quam fideliter repero, si quis voluerit, cognoscere ac iudicare possit.

Nam ut apud Iurisconsultos inciuile esse putatur respondere lege non integrè perspecta: sic nemo de rebus

E ij

conz

controuerfis iudicare rectius poterit, quàm qui integrè,
quæ in controuerfiam trahuntur, cognouerit.

DE VNDECIMA CA-
LUMNIA,

Apud Demosthenem pingitur Aristogiton circum-
iens in foro, & vibrans exertam caudam instar Scorpj, &
circumfpectans, quem feriat, quem aliqua calumnia oppri-
mat. Hæc pictura est Flaciani monstri, id est, hominis vi-
rulentæ ac luidi, confuti ex impudentia, maledicentia, &
scurrilitate.

Talem autem esse se quoq; Aristogitonem, de-
monstrat VVigandus, cum notationes illas decem, quas
hactenus refutauimus, concludit tandem additis duabus
hypothesibus, quas ut impias & Antinomicas accusare
audet. *Tales hypotheser seu doctrinas ab eo tempore, quo Antinomia
Islebij sæda, digito Dei calamoq; & voce Lutheri est prostrata, in Eccle-
sia Christi, clamat VVigandus non esse à quoquam homine publicè au-
ditas. Attendere etiam iubet, Aristogiton iste omnes pios, & cohor-
rescere de isto horribili saltu ex pinna templi, & orare Deum, ne isti au-
daces homines simul ruinam totius templi secum trabant.*

Postea quasi instructo exercitu straminearum argu-
mentationum impugnare, quæ rectè dicta sunt aggre-
ditur, conatu quidem magno, sed profecto inepto & ridi-
culo. *Impia (inquit) & in verbum Dei blasphemata vox est, Legem non
docere de bonis operibus, vt de exercitijs pœnitentiæ.*

Cum in Deum & homines blasphemus sit VVigan-
dus, quid mirum est nihil nisi blasphemias eum crepare?

At quàm egregium calumniatorem se præstet, col-
latio responsionis nostræ docebit, quam si integrè Aristo-
giton noster citasset, mox deprehendisset Lector Syco-
phantiam manifestam. Hæc igitur verba sunt responsionis
nostræ.

nostræ. *Lex non docet de bonis operibus, ut de exercitijs pœnitentiæ. Non enim concionatur de inchoatæ saltem & imperfectæ obedientiæ renatorum approbatione & receptione personæ gratuita propter Christum, nec hortatur & impellit proposita promissione auxiliij diuini, sicut manifestum est non esse legales sententias: Offerte Deo spirituales hostias acceptas ei per Iesum Christum. Item, Regnum Dei est iusticia, pax & gaudium in Spiritu sancto. Item, Quanto magis Pater cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus? Item. Sacrificium Deo Spiritus afflicti. Cor contritum & humiliatum Deus non despicias. Ad quem respiciam nisi ad contritum Spiritu, & tremementem sermones meos? Item, Credo Domine, sed tu opem fer infirmitati meæ. Item. Auge nobis fidem Domine.*

Vides hic Lector nequaquam adimi legi in vniuersum, quod de bonis operibus doceat. Imò vero, vt alibi copiosius dicitur, illa tantum bona opera sunt, quæ in Decalogo rectè intellecto præcepta sunt: & manet hic ordo diuinus, vt etiam renati obligentur ad obedientiam legi debitam.

Ideo autem determinatio ista additur (quod videlicet lex de bonis operibus, vt de Pœnitentiæ exercitijs non doceat) Primum, quia lex non ostendit auxilium, quomodo obedientia legi debita inchoetur in renatis, in tanta deprauatione omnium virium naturæ nostræ, & in tantis Diaboli insidijs. Deinde quia lex semper & immutabiliter requirit integram obedientiam, ab omnibus, sine discrimine renatis & non renatis, & damnat perpetuò & immutabiliter omnes non habentes integram & perfectam obedientiam.

Contra vero ex Euangelio discendum est, quomodo accepta remissione peccatorum gratuita, fide, inchoanda sit dilectio Dei & proximi, quod fit, cum datur nobis Spiritus sanctus, qui excitat novos motus in corde congruentes legi: Deinde vero, cum in hac vita non solum imperfecta, sed etiam multis sordibus contaminata sit obedientia, quæ in nobis inchoatur: adhibet Euangelium quantum ad

E iij

renatos

renatos attinet, hanc dulcissimam *εὐαγγελίαν*, ut ostendat eam
tamen placere Deo in reconciliatis propter Mediatorem.
Hæc nisi doceantur ex Euangelio, nō solum manca & mu-
tilla erit doctrina bonorum operum, sed etiam tolletur &
euertetur prorsus.

Nam si nihil de auxilio Spiritus sancti constet, si igno-
retur, initia bonorum operum Deo probari in renatis pro-
pter Mediatorem, qui est perpetuum vmbraculum Eccle-
siae & singulorum credentium, ne fieri quidem aliter potest,
quam vt conspectus infirmitatis, immundicie & imperfe-
ctionis tam fidei quam operum, & cogitatio de plurimis
sordibus adhuc in nobis hærentibus, in dubitatione ani-
mos relinquat, ab inuocatione deterreat, & curam in nobis
vitandi lapsus & studium bene operandi languefaciat.

Hæc cum luce meridiana clariora sint, facile intelligi
potest, admodum futilem ratiocinationem esse VVigande
di, cum hoc modo ineptias suas cumulat. *Cognitio suæ imbe-*
cillitatis & humiliatio coram Deo (inquit) est exercitium Pœnitentiæ
Item, mente seruire legi Dei seu condelectari legi Dei est exercitium
Pœnitentiæ. Item, Noua obedientia est fructus pœnitentiæ. Item, Ti-
mor Dei, Fides, Dilectio, Inuocatio, Gratiarum actio sunt exercitia
Pœnitentiæ. At hæc omnia in lege traduntur, Quia lex est norma bo-
norum operum. Ergo horrenda vox est asseuerare Legem non docere de
bonis operibus, vt exercitijs Pœnitentiæ. At tu VVigande si im-
pugnare nostra velis, probandum tibi hoc prius esse scias,
quod docere de bonis operibus, vt de exercitijs Pœniten-
tiæ, idem sit ac esse normam bonorum operum. Nisi
enim hoc probaueris, quod probare nunquam potes, sua
sponte ruere accusationes tuas blasphemias & impias necesse
est.

De quo, ipsa quoque responsio nostra, monere te po-
tuisset, nisi Sycophantam agere maluisses.

Disertè enim testatur nostra responsio, Nos firmiter
ample

amplecti testimonia vocis diuinæ, quæ docent in renatis etiam hunc legis usum necessarium esse, vt doceantur qui cultus Deo placeant, & vt sciant, quæ opera habeant expressum testimonium Dei, ac Deo placeant, nec eligant cultus suo arbitrio. Item, vt toto tempore vitæ peccatum, quod durat in carne nostra mortificetur, & vt alibi Paulus loquitur, *Vetus fermentum expurgetur.*

Non igitur quemadmodum Antinomi (qui abs te & tuis fouentur & ornantur) negamus legem etiam in conuersis normam esse bonorum operum: Sed hoc nondum satis esse ostendimus, vt bona opera sint exercitia pœnitentiæ. Ad hoc enim requiritur, vt sciant renati, quomodo bona opera inchoentur in nobis, & quomodo inchoata & imperfecta Deo placeant, cum in hac vita legi nunquam satisfaciant, Hæc si tu ex lege affirmas, disci posse sine declaratione Euangelij, rudem te profecto, quantumuis senem Theologum, esse oportet.

Quin illa ipsa quæ tu citas, te satis refutant, An qui nihil de Euangelio cognouit, verè se coram Deo humiliare potest? An is, cuius conscientia legis maledictione oppressa est, condelectari lege Dei potest? An qui sine agnitione & fiducia filij Mediatoris est, timore filiali Deum complexi: ei confidere: illum diligere, inuocare, gratias agere potest? An non potius odio & fremitu Deum prosequetur?

Quò igitur te studium calumniandi abripit: quò ex pinna templi præcipitè abijcit, quod audes asseuerare ex lege ista esse, etiam sine declaratione Euangelij: videlicet humiliare se coram Deo, mente seruire legi Dei, afferre fructus pœnitentiæ, timere Deum, confidere Deo, diligere, inuocare, gratias agere Deo? Quid hoc aliud est, quam abolere Euangelium? Et tu Censor præclare etiam cum Antinomis nos conferre audes, quod discrimen inter legem & Euangelium retinentes, normam quidem bonorum operum ex lege esse dicimus, Sed quomodo in his qui conuertun

uertuntur inchoentur bona opera, & quomodo Deo placeant, Ex Euangelio disci oportere, atq; ita Euangelium docere de bonis operibus, vt de exercitijs Pœnitentiæ, affirmamus.

An verò Antinomus tibi videtur Lutherus? qui in prima Disputatione contra Antinomos; Pœnitentiam definit esse dolorem de peccato, cum adiuncto proposito melioris vitæ. Dolorem autem illum propriè ait nihil esse aliud, quam tactum seu sensum Legis, in corde seu conscientia. Ipsas verò partes pœnitentiæ sic distinguit, vt dolorem quidem ex Lege tantùm esse affirmet, Alteram verò partem, scilicet propositum bonum, non posse ex Lege esse, omni contentione asseueret. Non enim potest, inquit, homo territus à facie peccati, bonum proponere suis viribus, cum nec quietus & securus id possit, sed vi peccati confusus & obrutus, cadit in desperationem & odium Dei, seu descendit ad inferos, vt scriptura loquitur. Ideo addenda est Legi promissio seu Euangelium, quæ conscientiam territam pacet & erigat, vt bonum proponat.

Et paulò post: Euangelium docet, Pœnitentiam non oportere tantùm desperationem esse, sed pœnitentes debere spem concipere, & sic ex amore Dei peccatum odisse, id quod est verè propositum bonum. Hoc aliqui dicendi seu materiam subiectam non considerantes contra Legem Dei dici putant. Et perniciosè docent, Legem Dei simpliciter tollendam esse ab Ecclesia, id quod blasphemum & sacrilegum est. Et disput. 3. contra Antinom. Omnia opera post iustificationem sunt aliud nihil, quam pœnitentia seu bonum propositum contra peccatum. Nihil enim aliud agitur, quam vt peccatum per Legem ostensum & in Christo remissum expurgetur.

Audis hic VVigande: Bona opera in reconciliatis, nihil esse nisi pœnitentiam seu bonum propositum. Audis bonum propositum esse ex Euangelio, non ex Lege. Cur igitur, vt Antinomicum accusas, quòd non Lex sed Euangelium doceat de bonis operibus, vt exercitijs pœnitentiæ?

Num verò & Augustanæ Confessioni scabiem Antinomicam affricare conaberis? quæ Articulo 20. titulo de bonis

bonis operibus expressè inquit. *Euangelium concionatur de noua vita iuxta illud: Dabo legem meam in cordibus eorum. Hæc igitur noua vita debet esse obedientia erga Deum. Et Euangelium prædicat pœnitentiam. Nec existere fides potest, nisi in his, qui pœnitentiã agunt. quia fides consolatur corda in contritione & terroribus peccati. Et paulo post. Inter bona opera præcipuum est, & summus cultus Dei fides ipsa, & parit multas alias virtutes, quæ existere non possunt, nisi prius corda fidem conceperint. Paulus enim dicit, Quomodo inuocabunt, nisi crediderint? Donec animi dubitant, an à Deo exaudiantur, Donec sentiunt se à Deo reijci, non verè inuocant Deum. Sed cum fide agnoscimus misericordiam, confugimus ad Deum, diligimus, inuocamus, speramus, expectamus auxilium, obedimus in afflictionibus, quia iam scimus nos esse filios, & placere Deo hoc nostrum sacrificium, nostras afflictiones, Hos cultus parit fides, Præclarè igitur inquit Ambrosius, Fides bona voluntatis, & iustæ actionis genetrix est.*

Hic rursus audis VVigande, Euangelium docere nouam vitam. Quid est autem noua vita nisi perpetuum exercitium veræ Pœnitentiæ? Docet igitur non Lex sed Euangelium de bonis operibus, ut de exercitijs pœnitentiæ. Item, Fidem audis, & præcipuum cultum Dei esse, & fontem bonorum operum. At fides ex lege non est. Quomodo igitur Lex de bonis operibus docere potest, vt de exercitijs pœnitentiæ? Hæc igitur considerent omnes pñ, & attendant, quo spiritu VVigandus agitetur, qui cum Legem ab Euangelio discernere nunquam rectè didicerit, non modo Lutherum, sed & Augustanam confessionem furorum Antinomitorum ream facere, sed frustra conatur.

D E P O S T R E M A C A L V M N I A.

Nominat VVigandus & hanc Propositionem impiam & blasphemam, impius ipse & blasphemijs teterrimis pollutus & contaminatus.

Contritionem esse duplicem. Aliam Legalem, vt Saulis, Iudæ. Alteram Euangelicam, vt Davidis, Petri.

F

Etsi

Etsi autem reprehensionis suæ rationes quasdam adducere in medium conatur: Tamen aliud pes, aliud Cithara sonat, vt de inconcinne saltantibus dici solet.

Id vt lector manifestè deprehendat, rursus verba responsionis nostræ ascribere non grauabor. *Hæc Contritio (inquit responsio nostra) quam Lex tantum efficit, desinit in fremitum & desperationem, atq; adeo in exitium æternum. Et impossibile est ex lege ostendere discrimen inter Contritionem Iudæ & contritionem Petri, inter contritionem Saulis & Davidis, inter timorem seruilem & filialem. Hæc adeò sunt euidentia, vt si quis non videat, eum obstinatè cæcum & præfractum esse oporteat.*

Additur & hoc in fine Responsionis nostræ: *Hæc omnia si considerarent Aristarchi nostri Flaciani, & quid sit pœnitentia, quas partes habeat quid inter contritionem legalem Iudæ & Euangelicã Petri intersit, & quæ peccata Lex arguat, quæ Euangelium, & quomodo inchoari oporteat obedientiam, quomodo placeat inchoata cum sit imperfecta & legi in hac vita nunquam satisfaciat: Hæc inquam, Si cogitarent paulo attentius, & exercitia inuocationis ac Pœnitentiæ quotidianæ adiungerent, nunquam rabie tanta dulcissimam Euangelij definitionem ex fontibus Israelis haustam, & congruentem cum experientia spiritali omnium piorum, reprehendere, allaturare, scurriliter calumniari, arrodere, exagutare aut corrumpere ausi fuissent.*

Hæc quæ ex Responsione nostra adduximus, cum refutare atq; refellere Vigande non possis, nec habeas, quod contra euidentem veritatem opponas, rebus ipsiis prætermiſsis, quas veras esse fateri cogeris, voculam vnã & alteram arripis, more canum frementium, qui in lapidẽ impetum faciunt, cum autorem ictus attingere nequeunt.

Summæ autem sententiæ nostræ, quod quidem ad hanc Responsionis nostræ partem attinet, fuit. Vt in Ecclesia usitatum est discernere inter timorem seruilem & filialem: Sic discrimen esse dico inter contritionem Iudæ & Petri. Nam timor seruilis est pavor & sensus iræ Dei sine fide, id est, sine fiducia misericordiæ accedente ad Deum, & sine consolatione

latione, erigente corda in doloribus inferorum, vt pavor in Saule, Iuda & similibus, qui fit horribilis fremitus aduersus Deum, & fugit Deum.

Hæc descriptio timoris seruilis rectissimè accommo- datur ad contritionem, qualis est ex lege tantum. Nam agnitio peccatorum, quæ verè est effectus legis, est horribilis dolor & pavor in consciëntia, qui desinit in fremitum & desperationem, nisi accedat consolatio, quæ ex lege non est nec esse potest, sed ex Euangelio.

Rursus Timor Filialis est pavor & sensus iræ Dei, sed cum fide, id est, cum fiducia misericordiæ, accedente ad Deum, qua liberantur corda ex doloribus, & clamant ad Deum, Abba pater, inter ipsos dolores, quos tamen vincit cõsolatio, sicut Dauid in excellentibus doloribus tamen erigitur, Talis est Sanctorũ contritio in hac tota vita. Et hæc fit in renatis bonum opus, seu, ut Propheta loquitur, sacrificiũ acceptum Deo, iuxta dictum: Sacrificium Deo Spiritus contribulatus. Cor contritum & humiliatum Deus non despicias.

Manifestum est autem, talem contritionem non esse ex Lege tantum, Quia & si ex Lege sumit initium, tamen consolatio, qua accenditur fides, quæ discrimen inter timorem seruilem & filialẽ efficit, non est ex Lege, sed ex Euangelio.

Habes igitur VVigande, quid Contritionem Legalem, quid contritionem Euangelicam Responsio nostra nominet. Ac verissimam esse explicationem nostram, non modò rei ipsius euidentia, sed etiam grauissimum Lutheri testimonium demonstrat: quod & suprâ recitauì. *Nam pœnitentia* (inquit Lutherus) *tantum ex Lege, si perseuerat, fit pœnitentia Cain, Saul, Iudæ, & omnium de Dei misericordia diffidentium & desperantium, id est, pereuntium.* Hic audis VVigande, descriptionem contritionis Legalis. De Euangelica verò contritione, quæ cum fide coniuncta est, quæq; vera & salutaris est cõtritio, sic inquit Lutherus: Con-

tra inutiles & desperationis Magistros Euangelium cœpit docere: Pœnitentiam non oportere tantùm desperationem esse, sed pœnitentes debere spem concipere &c.

Quid est ergo, cur Aristogiton noster tantopere spumet & sæuiat aduersus formam verborum, qua responsio nostra vsa est, cùm contritionem Iudæ, qualis ex Lege est tantùm, nominauit Legalem contritionem? At Petri contritionem, quæ non tantùm est pavor ex Lege, sed coniuncta cum consolatione ex Euangelio, sustentans cor Petri inter tristes pauores, nominauit Euangelicam?

Interim tamen, VVigande, more Sycophantarum planè & explicatæ sententiæ nostræ sophismatum nebulas & præstigijs offundis, vt imperitis fucum facias. Nam appellationes legalis et Euangelicæ contritionis eò calumniôsè detorques, quasi dolorem & pauorem negem esse ex Lege, atq; ita omnem cogitationem Legis diuinæ prorsus remoueam à dolore, qui sentitur in filiali timore, seu contritione perpetua omnium sanctorum.

Ideoq; præclaras istas rationes tuas magnis verborum ampullis ebuccinas, quibus tamen non aduersus nostram Responsionem pugnas, sed cum umbra & larua tua, quam secundum tuas imaginationes & somnia producis in scenam, inutili & irridendo conatu luctaris.

Per Legem, inquis, est agnitio peccati, Contritio est peccatorum cognitio, Ergo contritio tantum est ex Lege. Non igitur rectè nominatur contritio aliqua Euangelica.

Non audis, VVigande, in Responsione nostra simpliciter negari agnitionem peccatorum ex Lege esse? Imò uerò inter cæteros vsus legis Moralís, propter quos vult Deus exaudiri Legem suam in toto genere humano: discretè Responsio nostra, etiam hunc vsum vel maximè inculcat: Quòd videlicet Lex sit iudicium vniuersale, accusans totam deprauationem & peccata interiora & exteriora in
homi-

hominibus pugnantia cum lege Dei. Præterea & hoc Responſio noſtra dicit, Decalogum proponi, enarrari & ſanciri voce miniſterij Euangelici. Quin & in initio & in fine ſuarum concionum Euangelium vti lege Dei, vt & morbum noſtrum agnoſcamus, & cupidius medicinam expectamus, & vt poſt ſanationem ruruſus diſcamus ex Lege, quæ opera Deo placeant.

Non igitur opus erat, VVigande, ad probationem Maioris, cumulare dicta Scripturæ; qualia tu ex Paulo multa citas, quibus oſtenditur, Legem ſeruïre cognitioni peccatorum.

Duo verò ſcias in Paralogiſmo tuo ἀμαρτήματα eſſe non ferenda. Vnum, quòd omnis peccati cognitionem tantùm viſ ad Legem referre: cùm peccatum incredulitatis ſola Lex abſq; Euangelij declaratione, neq; norit neq; arguat. Eſtq; inſignis tua impudentia, quòd negas vel vnicum ſaltem dictum in ſacris literis extare, in quo doceatur vllius peccati cognitionem eſſe ex Euangelio. An verò ignota ſunt dicta? Spiritus ſanctus arguit mundum de peccato, quòd non credunt in me. Et: Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt.

Alterum, quod in argumento tuo iuſtiſſimam reprehensionem meretur, eſt, quòd contritionem, quæ eſt tantùm agnitio peccatorũ, id eſt, non ſpeculatio ocioſa, ſed horribilis pauor fuga & fremitus aduerſus Deũ, qualis eſt in damnatis, non diſcernis ab ea contritione, quæ eſt verus dolor de peccatis, & tamen fide mixtus atq; temperatus, qualis eſt Spiritus contritus in omni vita ſanctorum.

Talem ſanctorum contritionem ſi ex Lege eſſe tantùm contendis, quod tandẽ diſcrimen relinques inter miniſterium mortis & condemnationis, quod eſt ex Lege: & inter miniſterium Spiritus, quod conſolationem proponit ex Euangelio?

Quare dictum Pauli 2. Corinth. 3. de ministracione vitæ & mortis contra teipsum est, & falsitatem habet manifestam, quòd ais, tam Dauidem & Petrum, quàm Saulem & Iudam suas contritiones ex lege habere tantum: Quod si pertinaciter tueri, quæ tua est impudentia, audes, tam Dauidem & Petrum, quàm Saulem & Iudam in æternū perijsse sequetur, atq; ita omnem fidei veritatem euertes.

Ad Lutherum & Apologiam Augustanam, et ad vsitatam in nostris Ecclesijs doctrinam quod prouocas: miror tantum tibi mentis non esse, vt intelligas contraria tibi esse illa omnia, quæ pro te citas. *Lutherus inquit: Prior pœnitentiæ pars, hoc est dolor, est ex Lege tantum.* (Audi VVigande: Dolor tantum est ex lege, non consolatio. At contritio Petri non tantum est dolor, sed dolor cum fide vincente dolorem.) *Item, Impossibile est aliunde peccati cognitionem esse, quam ex Lege.* (At hæc ipsa peccati cognitio, VVigande, si perseueret sine consolatione, desinit tandem in desperationem, neq; est contritio salutaris.) *Item, David, sic & Petrus prius Lege deducti sunt ad cognitionem peccatorum, postea consolatione Euangelij erecti & viuificati.* (Audis igitur, VVigande, contritionem Petri nō esse legalem tantum, sed ex Euangelio accedere consolationem, qua recreatur & viuificatur cor.) *Item: Augustana Apologia cognitionē peccatorum ait esse ex Lege, consolationem verò ex Euangelio.* (Etiam hoc, VVigande, eò pertinet, vt probet contritionem salutarem præter Legem requirere consolationem Euangelij.) *Item: Usitata doctrina harum Ecclesiarum est, Iudam & Petrum cognitionem peccatorum & terrores percipere ex Lege, sed differre quod ad fidem in Christum.* Hæc, inquam, omnia non nostram Responsionem, sed tuam, VVigande, laruam & vmbra oppugnant. Hoc enim ipsum maxime vrget atq; demonstrat Responsio nostra, cum contritionem legalem & Euangelicam nominat, necessario ad dolores ortos ex Lege accedere oportere consolationem ex Euangelio, vt fiat contritio non Iudæ, sed contritio salutaris,

ris,

ris, qualis est Petri, Davidis, & omnium saluandorū. Item,
Nisi fides accedat ex consolatione Euangelij, non posse
conspici discrimen inter contritionem Iudæ & Petri.

*At fides, inquis, quæ consolationem Euangelicam accipit, non
ad primam, sed ad alteram pœnitentiæ partem pertinet. Non est igitur
à fide discrimen sumendum inter contritionem Petri & Iudæ.*

Te vero VVigande satis apparet Enthusiasticis Spe-
culationibus occupatū esse, vt imagineris in Sanctis dolo-
rem & consolationem, perpetuò temporum interuallis dis-
cerni & reipsa diuelli posse: Cum omnium Sanctorum ex-
perientia ostendat, mixtos esse in ijs, qui verè conuertuntur
ad Deum, hos ingentes motus, timorem expauescentem
propter peccata, & fidem accedentem ad Deum,

Neque nos propterea confusionem partium pœ-
nitentiæ facimus, cum in contritione Sanctorum fidem
seu consolationem Euangelicam, necessariò adiungi vo-
lumus ad dolorem, qui ex Lege est: Sed illud potius o-
stendimus: Agnitionem peccatorum qualis ex Lege
tantum est, nondum esse contritionem salutarem, nisi ac-
cedat consolatio ex Euangelio, quæ superet & uincat dolo-
res inferni. Ideoq; ut discrimen etiam inter Contritionem
Iudæ & Petri sit illustrius, & intelligi possit, differre eas par-
tim causa formali, partim effectibus: docendi causa appel-
lationibus distinctis responsio nostra vsa est, cum alteram
legalem tantum, alteram non tam legalem, quam Euange-
licā contritionem nominauit, id est, congruentē cum præ-
dicatione pœnitentiæ qualis in ministerio Euāgelij traditur.

Hanc ergo doctrinam congruentem cum testimonijs
Bibliorum, cum scriptis Lutheri, cum confessione & A-
pologia Augustana, cum toto consensu Orthodoxæ Ec-
clesiæ, quod tam superbe & petulanter spumando & sæui-
endo (sic enim flosculos tuos tibi remitto) non tam ratio-
nibus ueris, quam sophismatum præstigijs & deprauatio-
nibus

120
nibus recte dictorum calumniosis & Sycophanticis, spirans insuper conuicia & fulmina bruta, oppugnas: Theologus non nouus, neque noua audacia, sed senex & audacia atque impudentia veteri: quid nisi lanceam cruentam verae doctrinae infligis? & quod certum, verum atque explicatum est, destruere conaris non veritatis studio, sed partim odio scholarum & Ecclesiarum nostrarum, quas tu cum Flacianis nostris turpiter deseruisti, partim liuore atque inuidia aduersus doctores harum regionum, quibus velut Bileam alter precio conductus sine fine modoque maledicis, donec tandem cum Bileam praemia accipias, nisi quod tibi toto pectore opto, poenitentiam seriam & veram agas, atque ita non tam Iudae quam Petri contritionem experiaris.

Interea Filium Dei intimis animi gemitibus oro, ut verae doctrinae lucem in Scholis & Ecclesijs harum Regionum clementer seruet, & immane Flacianorum genus reprimat, quod Gygantum speciem & conatus nostro seculo refert, dum & sophismatum praestigijs, & odiorum virulentia Ecclesijs nostris & doctrinae recte constitutae & traditae bella assidue infert, non aliter, quam Gygantes olim capitibus anguium, de humeris sibilos & diuersos sonos edentibus & in angues pedibus desinentibus praediti fuisse & impietate nefaria bello coelum impetisse scribuntur. Qua re etsi metum nonnullum coelestibus incussisse dicuntur: ad extremum tamen fulmine coelesti prostrati, graues iustasque poenas impietatis dederunt.

F I N I S.

X 220.5991

7/9 1657 6x

NC





SPONSIO APPENDICEM VVIGANDI.

T MIRARI ET RIDERE SOLE
mus Poëtarum fabulas, quibus Gi
gantes finguntur congestis montibus
coelum oppugnare voluisse. Sed
idem nostra ætate fieri non sine stu
pore & dolore ingenti p̄i experimur,
cum Flaciani, posteaquam semel
nostris mouere cœperunt, Gigantæa
em immotam & euidentem de præci
Christianæ capitibus oppugnare non
ater eos autem ducem & antesignanum
NEM VVIGANDVM eò mis
est, quòd nomen Gigantum referens,
atum conatus & molitiones imitari po

s nuper, post alios multos infaustos fœ
mia veteri & noua tum collationē tum
ionem, vt nominat, oppositam Spongiæ
onibus Reuerendi viri Doctoris Pauli
initione Euangelij. In qua cum veteres
ies hæctenus refutatos, insigni impuden
m meæ quoq; famæ & existimationi la
am aspergere conatur, addita in fine scri
lice, in qua non tam rationibus, quàm ca
scurrilibus pugnat contra explicationem
Academiæ nostra propositæ: An Euan
A ij gelio